

Y₂
Y₃
Y₄
Y₅
Y₆
Y₇
Y₈

1775

- Y1. Veesius, Jacobus Fridericus : Origines iuris
eligiendi et prae deliberaudi principium electorum
S.R.T.
- Y2. Kindius, Iu. Adamus Thysphilus : De fundis femininis
- Y3. Horzowski, Hieronimus Nalecz : De re monaria Pola-
rica ante Venetiam et Cariacum M. reges.
- Y4. Pfeßmannus, Iosephus Iudorius Ernestus, secundus procur.
cellarius : De rebus ac juriis per bonorum commis-
serum ad creditoris haec transcurrentibus. Programma,
quod ultimam inauguratioem cont. Francisi Bac-
chensis, in diei 1.
- Y5. Pfeßmannus, Iosephus Iudorius Ernestus : Observacionum
iuris Germanici specimen I.
- Y6. Pfeßmannus, Iosephus Iudorius Ernestus : De causis
nonnullis adulterii poenam mitigandi quicquid
- Y7. Ren, Christianum : De actione depositi ad numerus
tertium possementa.
- Y8. Ren, Christianum : De querela inofficione donationis

1795

49. Rau, Christianus: Invenitatio juris ciuitatis ad 1.3.181

I. depositi rei contra.

50. Starhous, Fridericus Guilielmus Carolus: De bonorum possessione, quam contra tabulas parentum liberi agnoscimus.

51. Schott, Augustus Fridericus: Specimen juris Digestorum ad tit. de justitia et iure.

52. Schott, Augustus Fridericus: De farto usus

53. Sezerus, Ioh. Theophilus: Archimareschallus imperii aeneatorum patrum et justa.

54. Weinhall, Carolus Fridericus: Super decreto in alienan. dis rebus minorum interponenda

55. Zellerus, Trid. Gallus: De cum actionis recepto quoad mures porticos.

56. Zellerus, Trid. Gallus: Utrum testator cantionem fidei commissariam remittere possit?

57. Zellerus, Trid. Gallus: An deus depositum irregulare?

1775

58. Gallus, Fris. Gallus : An datur praesumatio
juri et de jure ?

59. Gallus, Fris. Gallus : Quando depositario con-
petat juri retenzioneis in deposito ?

60. Gallus, Fris. Gallus : Dico, quod justum est circa
dimitionem a debitore ante concursum mutum factam

Wissenschaften der Erde und Naturwissenschaften
der Physik, Chemie, Technologie, Medizin und
Psychologie vermittelten.
Die modernen Arbeitsmethoden der
Experimentellen Geodäsie sind die
genausten Ergebnisse der geodätischen
und physikalischen Erforschung der
Erde und ihrer Bewohner.
Die geodätische Arbeit ist eine
wissenschaftliche Tätigkeit, die
die gesamte Erde als ein
geometrisches Objekt untersucht.
Die geodätische Arbeit ist eine
wissenschaftliche Tätigkeit, die
die gesamte Erde als ein
geometrisches Objekt untersucht.
Die geodätische Arbeit ist eine
wissenschaftliche Tätigkeit, die
die gesamte Erde als ein
geometrisches Objekt untersucht.

9065.

177543

DE
RE NVMMARIA POLONIAE
ANTE
VENCESLAVM ET CASIMIRVM M.
REGES.

A VCTORITATE
ORDINIS PHILOSOPHORVM AMPLISSIMI
DISPVATAT
M. STANISLAVS NAŁĘCZ
MOSZCZENSKI
RESPONDENTE
CASPARO GVILIELMO HOFFMANNO
SMIEGLENSI POLONO
PHILOSOPHIAE ET S. S. THEOLOGIAE
STUDIO SO
AD D. XXI. OCTOBR. MDCCCLXXV.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

RE MUNIMARII ROMANAE
HINCIS ALM et CASSIMIRI M
R E G I A
ORDINIS THOMOSORHONIA IMPERIALI
DISPARTAT
M STANISLAS NAVIGIO
MOZGEXKSI
ESTENDENTIA
CASPARO GABRIEL MCHELIANO
SIMEONIUS TOLONIO
THEODOSIUS VASILEVIT
V D XI OCTOBRA MDCCXV



DE
RE NUMMARIA POLONIAE
ANTE VENCESLAVVM ET CASIMIRVM M.
RE G E S.



entium historias qui scribere aggrediuntur, opus
fuscipliunt varium, multiplex, et periculi plenum.
Sumunt partes, omni studio indagandi rerum
tam quae fuerant gestae, quam quae extiterant,
veritatem, atque ideo cauendi simul, ne quid
falsum, fabulosum et a cerebro narrantium profectum, ne diuina-
tione, aut coniectura sua tale quid prodant memoriae, quod
ipsi principes et populi, si eis ad vitam redire liceret, mendacii
accusent. Cum quanta Scriptorum ignominia non raro accidit,
vt Heroes qui saepe viui suas coguntur res gestas legere, aliud no-
tent gestum non fuisse; aliud ipsum Historicum effinxisse; in alio
eum fidem inconsiderate adhibuisse, neque satis diligentem in
indagando fuisse conquerantur. Contigit hoc certe illi Scriptori
qui Christinae Reginae Succiæ res pœclarissimas, ipsa adhuc
viuente, mandauit literis, eos profecto non tulit quos sperauerat
honores, sed a Regina saepe negligentiae, commenti, et malae
fidei reprehensus, a posteritate legitur. Complures a Heroes
et gentes si viuerent, idem facerent rerum suarum Scriptoribus;
maxime vero illi tam seueris censoribus essent digni, qui compen-
dia scribunt historiarum; qui populorum mores, ritus, opes,
regionum situs et naturas, literis mandare audent. Nam impri-
mis compendiorum hoc proprium est, vt plurima sint omittenda,

A 2

pauca

pauca eaque praecipua non tam referenda, quam per summa capita leuiter attingenda, in quo errandi praesentissimum est periculum. In scriptis huiusmodi nihil narratur integrum, mentio tantum nonnullarum rerum iniicitur. Iam libelli tales in eo tantum sunt viles, vel quod his versandis ad uberiorem praeparentur lectionem eorum animi, qui historiarum studiis initiantur; vel quod eorum, qui iam ingentia et prolixa Historiarum volumina perlegissent, memoria aliquantum iuuetur. Hinc fit, ut Scriptoribus Compendiorum illi sint multo peiores, qui populi-
rum gesta ita discunt, ut compendiis et breuariis contenti tan-
quam riuulis, ad ipsos historiarum fontes non accedant. De-
scripti vero gentium mores, potentia, copiae, religiones, aera-
ria, res nummaria, sunt certe longe pulcherrima, utilissima at-
que praecipua pars historiae, ac quasi sanguis et succus; sed qui
talia scribunt opuscula, debent, ut de posteritate, cui earum rerum
memoriam transmittunt, bene mereantur, operam dare, imo
nihil intentatum relinquere, quo res proferant certo comper-
tas et exploratas. Ipsam, qua se praeditos sentiunt, rerum
cognitionem iterum atque iterum probent et spectent tamquam
nummos oportet, eorum quae audiunt, vident et legunt, fidem
explorent; neque parui faciant ea, quae minoris esse momenti
videntur: neque enim eo ipso sunt huiusmodi. Procul dubio
quia haec cura olim non fuit adhibita, propterea nullam partem
historiae plerarumque gentium, praesertim priscarum, tam ne-
gligenter, quam rem nummariam, tractatam fuisse, aut potius
non fuisse scriptam notum est eruditis. Commune hoc vitium
etiam Polonicarum rerum Scriptores vel celeberrimi, cum caeteris
habent. Merito, eorum princeps Cromerus atque cum eo Salomon
Neugebauer a Cadano, Guagnin, Starowolski et alii, ille
in sua Poloniae descriptione, hi in chronicis et compendiis, hoc
nomine accusantur.

Primus, cui Starovolscius et caeteri assentuntur, propriam
pecuniam non habuisse Polonus usque ad Casimirum Magnum,
sed externis iisque modicis, maxime vero Bohemicis dicit usus
fuisse. Starovolscius etiam signasse aurum primum Sigismundum
senem

senem cum Cromero affirmat. Reliqui hunc errorem, qui in Cromero, quem rerum Polonicarum fuisse studiosissimum putas, perquam mirus est, suis compendiis, quae saepius quam ipsa Cromeri descriptio manibus teruntur, latius diuulgantur: hi ignorantiam suam prodiderunt: illi labem sibi contraxerunt negligentiae. Totam rem hac dissertatione tractare, et quantum satis est, exponere constitui, ut nobilissima haec pars historiae polonae non tam illustretur, quam per inscitiam omissa, in suum locum restituatur.

A Cromero incipio, qui rem Poloniae nummariam ^(a) ita describere orditur: „In magna rerum copia, vt sit, maior aliquanto fuit superioribus temporibus, quam nunc est, argenti et auri, reique nummariae penuria, praesertim cum auri et argenti metalla nulla extarent, et minus notae essent nostris maioribus transmarinae merces. Neque proprium habebant nummum Poloni, sed externis et maxime Bohemicis vsi sunt aliquandiu. Caepit deinde ante ducentos, ni fallor, annos, a Casimiro Magno rege, aes et argentum signari ad exemplum Bohemorum; aureos vero nummos primus omnium Sigismundus Rex huius Sigismundi Augusti pater nostra memoria signauit bonitate et pondere Hungaricorum.“ Totam fere istam narrationem, si partes singulae discutiantur, et iusto examine librentur, apparebit esse quendam falsarum opinionum cincinnum: verum haec quae mox dicemus, falsi eam non obscure neque incerto arguent.

Cromero adiungo illos, quos Sarnicki reprehendit; Ait autem, „quomodo aliqui dicant pecuniam ante Venceslai II Bohemiae regis tempora incognitam fuisse Polonis,“ - - et alibi, „Ferunt ante Venceslaum I signato auro atque argento Polonus in emendis rebus minime vfos fuisse, sed tantum permutationem rerum usurpasse. De inopia certe et nummo Polonio ex pellibus aspergillorim nescio quid Poëta Ianicius et alii tradiderunt, quibus ego conquerentibus de tanta inopia veterum non possum assentiri.“ Iam isti et Poëta Ianicius refutantur fatis a supra citato Cro-

A. 3

mero,

(a) Pag. 108 edit. Lugd. Batav. 1642 tit. Res Nummaria Poloniæ.

mero, qui Polonis aequior, externam, praecipue vero Bohemicam pecuniam eis largitur, quamvis propriam abiudicet. Itaque nihil mihi est cum ipsis prorsus ignaris rerum patriarcharum. Ipsi indicarunt, nunquam se vias Historias polonas praesertim scriptas euoluisse, aut euoluere voluisse. Satius duco, quod ipsa rerum series postulat, Cromeri narrationem confutare. Non inficior adhuc inquirendum esse tempus, quo Poloni aurum atque argenti fodinas in locis pluribus habere caeperint, licet eadem Casimiro Magno tribuantur, sed aes ab eodem signatum fuisse, prorsus falsum est. Polonicos aureos *grossos*, prope ad finem seculi decimi quinti extitisse Sovinskius testatur, prolatis documentis scriptis et nummis: aereos vero nummos Rex Ioannes Casimirus, Boratinio usus quodam monetario, primus percussit.

Sequitur iam istud, proprium nummum Polonus non habuisse, sed fuisse usus externis, maxime Bohemicis. Historia Polonorum, in qua Cromer tantopere fuit versatus, ostendit omnino id esse a vero alienum. Nam primum, nullus Scriptor prodidit Bohemorum pecuniam fuisse in Polonia, ante Regem Bohemiae Venceslaum I, qui cum iniuria Vladislai Loktek occupauerat Poloniae regnum, circa annum tercentesimum supra millesimum; si in Polonis Regibus numerandus, decimus quintus fuit rex post Casimirum I, qui ducentis sexaginta ante Venceslaum annis regnauit, et ante cuius regnum Polonus pecuniam habuisse suam Historiae testantur. Etenim interregno post Miecislae II decepsum longo, belloque civili et externo Polonia distracta, Adelheis regina fuit pulsa cum Casimiro filio, qui finitis in Parisiensi Vniueritate studiis Cluniaci ordini Benedictinorum se votis obligauerat; cum autem ad regnum a Polonis per legatos reuocaretur, Benedictus IX Pontifex Romanus eum votis soluit, hanc inter alias, ut Dlugos (b) refert, conditionem cum Legatis pactus, ut B. Petro

et

(b) Tum Polonorum regiones et regnum in lignum praediti per fidem Apostolicam, acceptique in magno sua necessitatibus articulo beneficii, B. Petro et successoribus suis, Romanis Pontificibus, de quolibet capite, nobilium capitibus circumscriptis, usualem nummum annis singulis soluere 1.3. ad an. 1040.

et eius Successoribus Romanis Pontificibus *visualis nummus* quotannis in singula capita solueretur.

Hunc *visualem numnum* potius externum fuisse quam polonicum, probari nullo modo potest: imo vox *visualis* indicat polonicum fuisse, & communem in emendis ac vendendis rebus, quales nunc sunt in Polonia *solidi* dicti, adeo ut recte Kundmannus dicat, communem hunc antiquissimumque regni Poloniae fuisse nummum. Dlugos autem alibi eum denarium vocat, Principatum Eoleslai P. describens ad A. 1246 haec dicit, „Opiso Abbas de Messano Innocentii Papae IV. in Poloniam et Prusiam Nuntius pecunias denarii S. Petri in singulis diaecesis Ecclesiae Polonicae per annos aliquot recollectas, accipiens, ad Papam Innocentium rediit.” Denarius apud Dlugossum non significat Romanum veterem nummum aut huic alium valore parem, sed Polonicum, quorum duodecim, communem Polonicum grossum effiebant, et quem recte Kundmannus modo *Heller* modo *Pfennung* appellat, vbi de hoc Silesiaco Petri denario agit: eumque ita accurate describit, ut eius descriptio hic mereatur ponи.

„Diesen Pfenningen habe beygefertet den Obulum Petri, oder sogenannten Peterspfennung, von welchem zu wissen, daß sie ohne Zweifel, die allerältesten Communmünzen seyn, so die Polen vor Zeiten dem Pahle zu Rom jährlich geben müßten. Denn als sie ihren entwichenen Casimirum, der im Kloster zu Clugny unter dem Namen in Caroli gelebt, wieder haben wollten, die Sache aber darum sehr schwer gemacht wurde, weil Casimirus allbereit die Weyhung empfangen, so dispensirte doch endlich der Pahf An. 1041, daß dieser Prinz nach Hause reisen, eine Gemahlin nehmen, und Kinder zeugen möchte, jedoch mit diesem Bedinge: von der Zeit an, von jedem Haupte des Volkes, die Edelleute und Geistliche ausgenommen, jährlich einen Pfennig (denarium) zu liefern. (vid. Croomerus Corporis Polonicarum Rerum Tomo I. pag. m. 450.) Dass auch diese bedungene Peterspfenninge, vermöge des gemachten und beliebten Contrats, von denen Polen, wirklich

lich gegeben worden, ist nicht zu leugnen. Denn nach vier Jahren, nehmlich An. 1045 ward Casimirus durch Benedicti IX. Pabst zu Rom Nuntium auf die Erlegung gedachter Pfenninge stark getrieben, welche auch erfolget. Dass aber auch Schlesien dergleichen Pfenninge erlegen müssen, davon siehe Gottfr. Dewaterecks Silesia Numismatica Scen. VI. Cap. I. §. 3. pag. 810. it. §. 8. pag. 813.

Es wurde aber dieser Polnische und Schlesische Pfenning deswegen Obulus Petri genennet, weil er lucernam perpetuo in aede D. Petri Romae arsuram, (wie Cromerus meldet,) oder eine immerbrennende Lampe in der berühmten Peterskirche beym Vatican zu Rom zu unterhalten, angewendet werden sollte. Diese nun sehen dem Gepräge nach also aus: Auf einer Seite stehtet der schlesische Adler mit einer breiten halb runden Binde; die andere Seite weiset den heil. Petrum. Dieser hat wie alle Heiligen um das Haupt einen Nimbus, in der linken Hand aber einen großen Schlüssel, den er in die Höhe reckt, und mit der rechten Hand darauf weiset. Schrot und Korn ambelangende, so sind sie von Silber, ob schon nicht von dem besten, doch sechse gewiss einen Silbergroschen werth, woraus die Güthe damaliger Heller, zur Gnüge abzunehmen.

In hoc tamen Kundmanno & Gottfrido Dewatereck, ex quo Kundmannus haec accepit, non assentior, quod imaginem Petri fuisse dicit in Polonicis denariis, neque puto cum Legatis Pontificem Romanum eos hoc charactere insignitos pactum fuisse: potius in Silesia posterioribus temporibus tales esse percussos, ex valore eorum tam exiguo colligi potest. Quippe communis Grossus Polonicus, adhuc Boleslao Pudico Principe, valet hodiernos Pol. Florenos quatuor & grossos cupreos sive aereos quindecim. Proinde illorum temporum denarius, hoc Silesiaco quorum sex efficere unum argenteum grossum hodiernum Bohemicum Kundmannus affimat, fuit longe maior. Bohemicus enim grossus A. 1734. sex aereos Polonicos hodiernos grossos aequat, et est propterea fere

fere duplo minor denario illorum seculorum, qui hodiernos cu-
preos Polonicos grossos aquat vndecim, denariosque hodiernos, si
flarentur, et in sua specie extarent, quatuor et dimidium, vt op-
time et vere Sovinskius qui Anno 1755 scripsit, (^e) documentis
ostendit authenticis. Verum vel ipsa Petri imago euincit, post
Casimirum I. hos denarios esse cudos in Silesia. Polonicus dena-
rius Petri soluebatur multis seculis teste (^d) Dlugosso, non ita tamen,
vt conuenerat inter Polonos & Pontificem Romanorum, sed a singulis
familias tres tantum dabantur et una mensura, *cibrum* Polonis di-
cta aunciae. Vladislao vero Loktek regnante hoc ita virginibus Pro-
curatoribus pontificis immutatum erat, vt coloni in singula capita,
vt superius dixi, vnum *denarium visualium* exoluerent. Alii, (^e)
vt Cnapius, dicunt hunc censem suisse a primo diuercium.

Attamen tempore Casimiri III. Regis, quo Dlugosz haec scrip-
fit, dictus *denarius* longe fuit minor, quod infra dicendis planum fiet. Denarius hic illustre est documentum, et satis euidentis,
ad probandum tam contra Cromerum quam contra alios, suam
habuisse Polonus pecuniam, antequam Bohemica vterentur. Mi-
rum est Cromerum et post illum caeteros hoc non vidisse, licet
denarius Petri eis non esset ignotus. Verum non hoc vnum argu-
mentum est; sunt plura, quae in Historiis legas, quaeque planum
hoc faciunt. Iuvat huc iterum producere (^f) Dlugosium, qui

per-

(e) Summariusz Uniarkowania Monet-
ty starey z dzisiejszą r. 1755. w Krakowie.

(d) An. 1318. Solvito denarii Petri pro
lampaibibus per Casimirum I. Regem Po-
lonie Romanae Ecclesiae, et ejus Pontifi-
ci reprobata, quae in id tempus perfun-
ctorie reddebatur, Collectoribus Aposto-
licis agentibus innovata est. Licet enim
ab exordio institutionis ipsius de domo
et familia qualibet tres tantummodo de-
narii *visuales* et aunciae *cibrum* solue-
rentur, hujusmodi tamen consuetudine
abrogata, sanctum est, vt de quoilibet
capite coloni et rusticani homines vnum

denarium visualium annuatim exoluant.
Quae etiam in diem hanc et usque in ae-
tatem nostram continuatur. L. IX.

(e) Synom. Polon. Lat. Graeca. Voca-
bulo *Swietopietrzke*.

(f) Tertio Idus Aprilis (1765) Boles-
laus Poloniae Rex, in oppido suo regali,
Mogilno Gnesensis Dioecesis.... mona-
sterium ordinis S. Benedicti fundat.... cui
et interitus regales infra regnos, *nouum*
denarium, nonum porcu, nonam po-
l. drun, nonum pisces... et mediebatem
thelonei flumii Bug.... in Laszyn vero *de-
cem marcas*, in Spycimir *septem mar-
cas*

perhibet, Boleslaum Audacem, Casimiri I. filium, anno millesimo sexagesimo quinto Mogilnense fundasse monasterium, eique praeter alia, pecuniam, quam tradit, pro annuo reditu assignasse. Quod patet, dictum Scriptorem ex vetustis transcripsisse membranis, cum singula nominatim recenseat.

Ante Venceslai proinde, qui Polonis pecuniam primus ostendisse falso putatur, et ante Casimiri Magni, qui primus aes et argentum signasse apud Polonus, non vere dicitur, tempora, Poloni sua abundabant pecunia. Quod etiam in decreto (g) a Iudicibus Romani Pontificis in causa Vladislai Lokietek Regis cum Cruciferis de Pomerania ab his occupata lato, legi potest: quippe sua decernunt sententia a Cruciferis Vladislao Principi ad compensandos interceptos ab eis Pomeraniae reditus, *triginta millia marcarum monetae et ponderis regni Poloniae* soluenda; pro litis vero expensis iidem Cruciferi soluere jubentur dicto Principi *centum quinquaginta marcas grossorum Pragensium*, tantundem enim se expendisse procuratores regiae causae dicebant. Locus hic decreti ostendit primum regios reditus moneta Polonica computari fuisse solitos: deinde post mortem Venceslai, quem certum est Polonicam monetam non percussisse, et ante Casimirum Magnum, dicti Vladislai filium, Polonis fuisse suam pecuniam. In hoc autem loco intelliguntur *communes grossi Polonici argentei*, quorum *Bes librae Romanae, marca non latine dicta, una, ab anno millesimo ducentesimo quinquagesimo ad millesimum tercentesimum sexagesimum octauum, quo aliam Constitutionem rei nummariae Polonicae dictus Sovinskius animaduertit,* aequat

eas, in Rosprza septem marcas, in Volborz quatuor marcas, in Zarnow duo et medium, quotannis percipiendas largitus est.

(g) — et ad solutionem *triginta millium marcarum monetae et ponderis regni Poloniae* ratione fructuum percepitorum, et qui percipi potuerunt ex illa, prout Procuratores de violentia illata probata per testes, quantitatem praedictam

fructuum, per sumum iuramentum, legitime comprobauerunt, et ad satisfactiōnem expensarum in causa factarum praefato Domino Regi Poloniae seu Procuratoribus eiusdem praedictis faciendam in his scriptis sententialiter condemnauimus. Quas quidem expensas ad centum quinquaginta marcas grossorum Pragensium taxamus. Decretum apud Dlugofs. L. IX. Hist. Pol.

aequat Polonicos hodiernos *florenos* sexdecim supra ducentos. Lector facile rationem inibit, quam magnam summam, nempe hanc 6480000 florenorum Polonicorum efficientem Cruciferi Vladislao Regi soluere debebant. Eat nunc Cromer, aut alius quispiam, et Polonus suam non habuisse pecuniam, vel eius fuisse passos penuriam! dicat.

Multa ex Polonica interiore Historia possent colligi, quae ostendunt longe ante praedictos Reges, propriis Polonos nummis non caruisse. Quod patet ex fundatione Monasterii Trzebicen-
sis in Silesia caepti 1204. et perfecti 1219. Calculo facto Tem-
plum et *Domum* eiusque redditus triginta millibus marcarum Polo-
nicalium constitisse Henrico Barbato Duci Vratislaviensi refert
saepe memoratus Dlugoss. L. VI. ad A. 1208.

Enimuero nullo evidenter argumento Cromer aliique falsi possunt convinei, quam eo, quod a dicto Sovinskio Presbytero Ecclesiae Cathedr. Cracoviensis assertur. Hic enim tam doctrinae studio quam damno vitando causisque forensibus, rem nummariam Polonicam inuestigauit diligentissime. Iam a longo tempore extiterant lites tum inter ipsos Nobiles, tum inter hos et Clerum de antiquissimis censibus e villis, quos non illius antiquae pecuniae valore, sed nouis longe diuer-
sis et minoribus pretio nummis possessores et domini soluere con-
tendebant, dantes pro *grofso communi argenteo* veteri, aesti-
mato quatuor florenis Polonicis et cupreis grossis quindecim, ho-
diernum aereum *grossum* quorum triginta vnum nunc Polonicum
florenum efficiunt, eudenti iniuria modo per fraudem, modo
per ignorantiam, qua etiam ipsi Iudices notabantur, veteris
rei nummariae. Proinde immortali laude dignus Sowinski
praesenti multorum periculo, qui suas fortes inique perditum ibant,
commotus, rem inuestigare aggressus, quam multo studio
multoque labore perfecit felicissime. Calculum pecuniae veteris
atque praesentis Polonicae typis Polonio sermone vulgauit: in
quo libro valorem et species vetustae polonicae pecuniae incipit
recensere ab anno 1250, in quem cadit Boleslai Pudici Principa-
tus: enumerat autem *Grossum latum Polonicum aureum; grof-*
sum

sum latum polonicum argenteum; Grossum communem polonicum argenteum, et addit; „Habeo pedem monetalem in sua specie Polonicam, certissimum fundamentum huius quod scribo; habeo etiam antiquiores; vsque ad minimum habeo in sua specie”. Reete quidem: istud etiam testatur regalis census antiquissimus, qui in signum dominii de certo agri modo Lan dicto regibus soluebatur: efficiebat autem sex scotos, quorum unus a. 1250. aequat hodiernos florenos Polonicos nouem. Censum hunc fere aequet vetustum ac ipsum regnum Ludovicus Rex, duobus grossis contentus abrogauit ^{b)}. In ipso a Cruciferorum ordine mox post aduentum in Prussiam, nempe A. 1232. Culmenſi Ciuitati priuilegio cudenda monetae dato, adiectum quidem non lego quod aliqui volunt, solidos argenteos Culmenses signari debere pares solidis argenteis Polonicis; sed liquet ex aliis satis etiam antequam Crucif ri in Prussia consedissent, Polonus vlos fuisse propria pecunia. Ab eo vero tempore quo pecunia Polonica coepit, vsque ad annum 1250, et ab hoc vsque ad 1368 iuxta calculum Sovinskii pecuniae valor non fuit mutatus. Hoc vero dicto millesimo tercentesimo sexagesimo octauo anno, Casimiro Magno rege pecunia in deterius mutari caepit, quadringentorum deinde annorum aduersas vicissitudines experta, vsque ad hodiernum Stanislaum Augustum regem. Perquam mirum est Dlugossum silentio praeterire a Casimiro M fuisse argenti sodinas Ilcussenſes caeptas, et pecuniam signata iisdem nominibus sed non eodem valore, qui immane quantum fuit diminutus. Epochas statuit Sovinskius in deterius quatuor saeculorum spatio mutatae pecuniae, vsque ad annum quintum et quinquagesimum supra millesimum septingentesimum, quo scriptit, quibus adiicienda essent et eae, quae post editum suum librum consecutae, donec a Praefectis Acerii Polonici et Lituani iusto pretio fuissest aestimata, et de improba ac adulterata, aerea potius quam argentea secundum indicaturam, argyronomonum spechtione et iudicio deductiones factae. Ad extreum hodiernus Rex Stanislaus Augustus, priore falsa conflata, nouam et probam caepit signare; dat operam ut nummi aurei

(h) Dlugos. in Ludo v. Rege.

aurum et argentei diligenter ac religiose spectentur, censeantur, ac aestimentur, ipse huius rei custos severus et diligens.

Non igitur concedimus, neque enim hoc per veritatem Historiae licet, Venceslao Regi laudem, Polonis nummos suppeditasse, quam illi tribuunt, Cromer, cuius verba, Bohemicis usos fuisse aliquandiu, hoc ipsum volunt dicere; Neugebauer, Guagnin et Starowolski. Liquet hominum istorum alios rerum patiarum fuisse rudes, alios diligentia rei inquirendae Sowinski longe inferiores, quibus nec exploratum quidem fuisse videtur, quae pecuniae species a Venceslao in Poloniam erat importata. Hic enim tantum grossos intulerat bohemicos, quorum unus a nummulariis, quibus Sowinski spectandos dederat, vix uno hodie no Polonico floreno aestimatur. Legi a nonnullis cum aestimari paullo plusquam quinque grossis argenteis Saxoniciis, verum Sowinski per Spectatores comperit unum ex suis valuisse 28 aereos polonicos grossos, hoc est ne quatuor quidem integros Saxonicos argenteos, alterum triginta, qui pares sunt Saxoniciis argenteis quatuor communis in vnu aestimatione, tertius valebat aereos triginta duo, quod indicat neque ponderis, neque bonitatis eiusdem, ut saepe nummis eiusdem formae accidit fuisse, licet eodem pretio fuisse dati et accepti, seu ut nunc minus latine dicitur, aquatatem cursum habuissent. Profert Lengnichius (ⁱ) causam, propter quam Venceslaus grossos Pragenses in Poloniam importauerat, scilicet propter maiorem commoditatem mercantium, eo modo quo nunc aerei, dimidi argentei, quo facilius pretium venditarum ac emptarum rerum possit numerari, percutiuntur.

Confutato errore tum eorum qui Polonos pecuniam non habuisse suam, sed vsos fuisse externa praefertim Bohemica, tum eorum, qui asserunt nullam prorsus nouisse, et a Venceslao usum eius fuisse doctos, ac post hunc a Casimiro Magno; producta etiam in publicum pecunia Polonica ac evidenter argumentis monstrata.

B 3

ta

(i) Celebrat Historia, quod Poloniā pacatam fieri abiens et moderate rexerit; Cracouiam mūro circumdederit; nouam Cūtiatēm Sandecum aedificauerit et in usum mercantium grossos Bohemicos induxerit, p. 18.

ta, qua longe ante Venceslaum et Casimirum M. Polonia fuit locuples; reliquum est, ut breuibus absoluam, num Poloni sua an ab aliis nationibus petita habuerant auri atque argenti metalla; num suas monetas; quid denique de scorteis Poetae Ianicci et Guagnini Chronographi nummis sentiendum.

Quod primum attinet, fateor adhucdum non constare, quo saeculo auri et argenti fodinas aperuerant Poloni reges. Alii hoc publicum bonum Casimiro Magno tribuunt, eumque primum ex fodinis Ilcussensibus argentum protulisse scribunt: verum Dlugosz qui Casimiri Magni regnum prolixè describit, laudibus magnis extollit, et quaecunque huc faciunt, omnia congerit, etiam arces et oppida ab eo vel munita vel extructa recentet nominatim, de metallorum fodinis, de monetis, nullam facit mentionem; ait ab hoc Rege Ilcus oppidum muro fuisse extructum, de fodinis quae ibidem essent ab eo caepta nullum verbum: cum tamen Bithonienses argenti fodinas in Silesia et opulentiam Bithoniensem referat.

Scribit quidem (k) Starowolski „Rerpublicam nunquam extraneorum emendicatam fuisse opem, aut mutuatam aurum, etiam tum cum nondum ipsa aurum signaret” sed, credo, libra, et bessie, pendere: alibi de Palatinatu Cracoviensi scribens „nec est praetercundum, ait, quod prae omnibus regni Poloniae Satrapis, vna Sandomiriensi excepta, huic soli (Cracoviensi) omnia metalla fossiliaque contigit possidere; plumbi et argenti apud Ilcussiam, Slaveviam, Severiam, et Novagoram; aeris atque auri ad Novotargum, et in montanis circa Sandeciam”. Alibi quoque celebrat Ilcussiam urbem regiam plumbi argentique fodinis diuitem et famosam: utinam nobis pari diligentia prodidisset annum et seculum quo caepta ibidem metalla fodi, sed haec scripsit sero nimurum Sigismundo III. rege, sub quo adolescens vixit. Si proinde hac de re meo standum esset iudicio, statuerem Polonos tam externa argenti atque auri metalla, quam propria, habuisse; et haec quidem iam inde a seculo decimo: externa vel infecta emissæ, vel numeros aureos argenteosque peregrinos, qui ex Oriente et Occidente

(k) Tit. Opes.

cidente importabantur, et quod probare res non magni esset negotii, conflasse in suos more priscarum gentium, quem etiam hodier nae imitantur. Iuuat hic addere, saepe veterum Romanorum Imperatorum auream argenteamque pecuniam in agris Polonicis, aratri erui in vasis reconditam; nummos hos, vulgus imperitum, capita S. Ioannis Baptiste vocat. Sunt autem saepe Neruae, saepe Traiani, Adriani, Antonini Pii et aliorum Imperatorum. Tales nummos multos ipse Sowinski collegit, quos simul cum magno numero vetustorum Polonicorum in tabularium Canonicorum Cath. Ecclesiae Cracoviensis conservandos dedit.

Minor est difficultas de officinis (¹) monetariis; vix enim ac ne vix quidem est credibile Principes et Reges Polonus alio suos voluisse magno et praesenti periculo nummos mittere feriundos. At cum deinde Polonia fuit in multis *ducatus* divisa, certum est, nisi omnes, certe plerosque Duces ex Piaſti familia monetam flavisce: cum ius hoc faciendi Duces Poloniae maioris etiam Archiepiscopo Gnesnenſi et Episcopo Posnanienſi singulari priuilegio concessisse legamus.

De scortois in Polonia nummis; eorum communem usum fuisse, praesertim ut nonnulli volunt usque ad Venceslaum regem, impudens mendacium est. Necessitate aliqua fuisse imagine regum ante Mieczlaum I. signatos non negauerim. Nouimus ex Platone Carthaginenses habuisse singulare nummorum genus; non tamen erant per se scortoi, sed in coriis erat illigatum aliquid, quod soli magistratus et illi qui faciebant, nouerant. De Friderico Aenobarbo Imperatore, eum corium sua imagine insertis claviculis argenteis signasse cum bello et penuria pecuniae urgeretur Annales produnt. Sed stipendia militibus bello talibus nummis numerata, pace deinde auro argentoque exoluit, ut promiserat. Aliis scortois nummis recensendis aequa fabulosis ac Polonie immorari animus non est, cum hoc nihil ad nostrum faciat argumentum, de quo differendi hic finem facimus.

(1) Apud Dlugof ad Annū 1162 legimus, Dukes Poloniae habuisse *Moneta-riū suū*, cui multi Cracouienſium nobiliū pagi antiqua confuetudine operas sup-

peditare tenebantur. Ex hoc numero figurunt illi tres a Iaxa Nobili, Monasterio Miechouiensi donati, quos Boleslaus Crispus concesso priuilegio fecit hoc onere immunes.



COROLLARIA.

I.

In Historia non licet philosophari contra testimonia certa et monumenta fide digna, v. c. peruersi sunt homines qui contra Historiam Mosaiam, Euangelicam argumentis a priori pugnant sic: haec fieri non potuerunt; incredibilia mihi videntur; itaque facta non sunt.

II.

Fide digni sunt scriptores, quibus constat nec notitiam idoneam rerum, nec veri amorem aut probitatem eam desuisse, in quam suspicio fraudis non cadat.

III.

Cauendum est a praeiudicis auctoritatis in quaestione an scriptor Historiae fide sit dignus,

IV.

Cum Historicus non modo testem agat, sed etiam suum iudicium interponat, ab hoc ea quae ad ipsam rem in facto positam pertinent, omni studio sunt distingueda.

V.

In Historia multa testimonii et monumentis tam certa sunt, ut quae Mathematice sunt demonstrata certiora esse non possint.

VI.

In omni veritate inquirenda in primis ea quae ad animum et religionem pertinet, multum intereat, ut habeas mentem veri cupidam et a studio partium alienam.



Lipzg, Diss., 1775 K-2



VDT8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



DE
RE NVMMARIA POLONIAE
ANTE
VENCESLAVVM ET CASIMIRVM M.
R E G E S.

AVCTORITATE
ORDINIS PHILOSOPHORVM AMPLISSIMI
DISPVATAT

M. STANISLAVS NAŁĘCZ
MOSZCZENSKI

RESPONDENTE
CASPARO GVILIELMO HOFFMANNO
SMIEGLENSI POLONO
PHILOSOPHIAE ET S. S. THEOLOGIAE
STUDIO SO

AD D. XXI. OCTOBR. MDCCCLXXV.

LIPSIAE,
EX OFFICINA BREITKOPFIA.